

Valentin Legdaeus Theodor Niemann

Disputatio Theologica De Gloriosa Resurrectione Domini Nostri Jesu Christi

Rostochii: Pedani, 1624

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737675462>

Druck Freier  Zugang



Vert. Th. Niemannius

V. Legdaeus.

R. U. theol. 1624.

Disputatio Theologica
DE
GLORIOSA
RESURRECTIONE DO-
MINI NOSTRI JESU
CRISTI,

CHRISTO DUCE ET AUSPICE,

In

Inclita Academia ROSTOCHIENSI

Publicè proposita

PRÆSIDE

VALENTINO LEGDÆO

SS. Th. D. & Profess. ordinario,

RESPONDENTE

THEODORO NIEMANNO

Neostadio-Holsaro.


Ad diem * Máj In Auditorio magno
horis matutinis.



ROSTOCHII

Literis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typ.

ANNO M. DC. XXIV,





VIRIS

*Admodum Reverendo, Clarissimo,
Excellentissimoq;*

Dn. M. JACOBO FABRICIO, seniori
utriusq; Ducatus Schlesvicensis & Holsatiensis Superintenden-
denti generali dignissimo, tum quoq; aulae Got-
torpianae Ecclesiae meritisimo,

Dn. Patrono & Promotori meo demisse observando.

NEC NON

Reverendo, Doctissimo atq; Clarissimo

Dn. M. HENRICO NIEMANNO,
Ecclesiae Neapol. Cimbr. Pastori vigilantissimo, Dn. Pa-
renti meo humiliter venerando:

JUXTA ET

Consultissimo & Prudentissimo,

Dn. MAURITIO NIEMANNO,
Politiae Neostadianae Consuli conspicuo

QUIN ET

Spectatissimo atq; Politissimo


Dn. SEBASTIANO NIEMANNO,
Reipubl. Lubecensis civi ac Mercatori haud vulgari:

*Dn. Patris ac Patroni meis ea, qua par est,
observantia aviter nimis suscipiendis.*

theses haec Theologicas

inscribit

Respondens.



secundum scripturas 1. Corinth. 15. v. 3. 43 ita & nos huc præcipuum nostrum studium conferre oportet. Qui enim ita Christum novit, omnia novit. Qui nescit, nihil novit, se cetera novit. Ideo etiam se nihil scire dicit idem Apostolus, nisi Christum crucifixum 1. Cor. 2. v. 2. neq; crucifixum tantum: sed & ex mortuis resuscitatum. Hanc quoq; summam inculcat Timotheo, $\mu\eta\eta\mu\acute{o}\nu\epsilon\upsilon\epsilon$, inquiens, $\text{I}\eta\sigma\acute{\upsilon}\nu\ \chi\epsilon\iota\sigma\tau\acute{o}\nu\ \epsilon\gamma\eta\gamma\epsilon\mu\acute{\epsilon}\nu\omega\upsilon\ \kappa\alpha\iota\ \nu\epsilon\kappa\tau\acute{o}\omega\upsilon$ 2. Timoth. 2. v. 8.

4. Fuit autem Christi ex mortuis resurrectio vera & non imaginaria, sicuti morsejus vera fuit & non phantastica. Verè languores nostros ipse tulit, ait propheta. Esaias c. 53. v. 4. in corpore suo super lignum 1. Petr. 2. v. 24. quando nimirum Patri suo obediens factus est usq; ad ignominiosissimam illam crucis mortem Phil. 2. v. 8.

5. Veritatem resurrectionis Christi confirmant 1. Angelorum testimonium Matth. 28. v. 6. 7. 8. Marc. 16. v. 6. Luc. 24. v. 7. Quid queritis, inquiunt, vi ventem inter mortuos? Non est hic: sed surrexit, sicut dixit. 2. tot apparitiones Christi post resurrectionem. Et quia ex miraculoso & subito ingresso suo discipulorum animis quadam de spiritu seu spectro oriebatur opinio, diligenter eam confutavit ostendendo ipsis manus ac pedes, videte, inquiens, $\omicron\tau\iota\ \alpha\upsilon\tau\acute{o}\varsigma\ \epsilon\gamma\omega\ \epsilon\iota\mu\iota$, contrectate & videte me, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut videtis me habere Luc. 24. v. 39. 40. Job. 20. v. 20. 27. comedendo etiam in conspectu ipsorum v. 43. atq; adeo $\epsilon\alpha\upsilon\tau\acute{o}\nu$ seipsum, non spectrum aut phantasma aliquod discipulis exhibendo, vereq; ex mortuis se surrexisse ac vivere multis argumentis confirmando, per dies quadraginta eis apparens, & dicens, quæ ad regnum Dei spectant Act. 1. v. 3. 3. testimonium Apostolorum, qui non tantum Christum ex mortuis resuscitatum viderunt & cum ipso collocuti sunt, sed etiam manibus suis contrectarunt & cum ipso eamderunt ac biberunt Luc. 24. v. 34. 39. Job. 20. v. 20. Act. 1.

v. 3, 23

v. 3. 2, v. 24. 32. 3, v. 15. 4, v. 10. 33. 10, v. 40. 41. 13, v. 30. & seqq. 1. Corinth. 15. v. 4. & seqq. 1. Joh. 1. v. 1. atq; hoc suum de Christi resurrectione testimonium sanguine suo confirmare non fuerunt veriti.

6. Neq; tantum vera fuit Christi resurrectio, sed & necessaria, tum respectu ipsius Christi, tum verò etiam nostri. Necessariam eam fuisse respectu nostri demonstrabimus infra. Sed ipsius Christi ratione necessaria erat, 1. quia Deus illam ab aeterno decreverat. Ita edem oportuit Christum pati & resurgere à mortuis tertia die Luc. 24. v. 4. 6. Quem Deus suscitavit, solutis doloribus mortis, eo quod cor. n̄ duratū non erat possibile, ut ipse ab ea retineretur Act. 2. v. 24. 2. quia à prophetis erat prædicta, quorum vaticinia impleri oportuit. Urget hanc rationem Christus Luc. 24. v. 44. oportet, inquit, impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi & Prophetis & Psalmis de me, & v. 46. Ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati & resurgere. Urget & eandem Apostolus Petrus Act. 2. v. 26. 27. provocans ad propheticum Davidis vaticinium. David enim, ait de eo dicit: non derelinques animam meam in inferno; nec sines sanctum illum tuum videre corruptionem. 1. quia id requirebat persona ipsius dignitas, ut nimirum cognosceretur Dei filius. Si enim Christus mansisset in morte, non fuisset verus Dei filius. Hinc Paulus Act. 13. v. 33. ex Psal. 2. v. 2. resurrectionem Christi probat, demonstrans, quia filius Dei sit, non potuisse illum à morte teneri, ut corruptionem subiret. Per resurrectionem itaq; ex mortuis Christus potenter declaratus est Dei filius, docente eodem Apostolo Rom. 1. v. 4. 4. quia id quoq; requirebat persona sanctitas. Nostra corpora propter peccatum rediguntur in pulverem & cinerem Genes. 3. v. 19. at Christi corpus corruptionem videre nec debuit nec potuit, quia sanctum est Luc. 1. v. 35. & omnia peccati expers Heb. 5. v. 15. 5. quia requirebat id naturarum divina & humana personalis

unio, quæ ne in morte soluta fuit, licet anima & corporis unio naturalis fuerit soluta. Quod enim dicitur & semel assumpsit, nunquam deponit. Ergo Christum ex mortuis resurgere necessum fuit. Si enim corruptionem sensisset Christi corpus, natura ipsius humana, quæ anima & corpore constat, non fuisset tum perfecta. Huic Athanasius: Corpus Christi communem habens substantiam, ad reliquorum similitudinẽ moritur: propter unionem verò jam non corrumpitur juxta propriam suam naturam, sed dicitur & inhabitans prohibuit à corpore corruptionem. 6. quia ipse ut autor & fons vitæ Job. 5. v. 26. 11. v. 25. 14. v. 6. vitam æternam dare debuit ovibus suis Job. 10. v. 28. 17. v. 2. Oportuit igitur ipsum resurgere ex mortuis. Absurdum enim fuisset, eum manere in morte, qui ipse alijs dat vitam. 7. quia sã Christus in morte mansisset, redemptio nostra non fuisset plena ac perfecta. Fuisset enim hoc certum argumentum, eum à mole peccatorum & morte fuisse superatum. Ubi enim mors, ibi peccatum. Quare ex mortuis resurgere debuit Christus, ut constaret, ipsum perfectè iustitia diuina pro peccatis nostris satisfecisse Rom. 4. v. 25. 1. Cor. 15. v. 17. 8. Quia id requirebat ejus officium, quod debebat esse perpetuum, sicuti ipse perpetuus noster mediator est. Debit esse perpetuus noster propheta & doctor, qui doceret nos per Spiritum suum sanctum Psal. 22. v. 23. Narrabo nomen fratribus meis. Debit esse perpetuus noster sacerdos, qui semper pro nobis intercederet Psal. 110. v. 4. Tu es sacerdos in æternum. Confer Rom. 8. v. 33. Debit esse rex noster æternus. Regni ejus non erit finis, ait Angelus Luc. 1. v. 33. Confer 2. Sam. 7. v. 13. 14. Psalm. 45. v. 5. 89. v. 36. Dan. 7. v. 77. Rom. 14. v. 9.

7. Tempus verò resurrectionis Christi tertium à morte dies esse debuit, tum juxta scripturam 1. Cor. 15. v. 4. quia id typo Jona fuit præfiguratum, quemadmodum Christus ipse exponit Matth. 12. v. 40. Sicut inquit, Jonas fuit in ventre ceti
tribus

tribus diebus & tribus noctibus: sic erit filius hominū in corde #
terra tribus diebus & tribus noctibus: tum etiam juxta ipsius
Christi vaticinia Matth. 20. v. 19. Marc. 10. v. 34. Luc. 18.
v. 33. Joh. 2. v. 19. 20. Ergo nec citius nec serius ex morte resur-
gere debuit, & quidem etiam propterea: quia si statim post mor-
tem resurrexisset, videri posset, quod mors ejus non fuisset vera
& per consequens, nec resurrectio vera. Neq̄ ultra triduum
in morte detineri debuit, ne fides discipulorum labasceret.

8. Verūm hic oritur Quæstio, quomodo Christus tri-
bus diebus ac noctibus in corde terra fuerit, cum tantum per
duas noctes eum in sepulchro fuisse constet ex historia Evange-
lij? FERIA enim sexta sepultus est ante diem dominicam, qua
prima sabbati vocabatur, qua Christus resurrexit Matth. 28.
v. 1. Marc. 16. v. 2. Joh. 20. v. 1. Non satisfacit quibusdam,
quod respondet Augustinus Epist. 49. q. 6. Hieronymus super 12.
cap. Matth. & in Comment. in 2. cap. Jona esse hic Synecdo-
chen, quā pars pro toto ponitur. Dicant enim, neq̄ Christum
tres integras noctes, nec partem trium noctium jacuisse in sepul-
chro. Verūm illi malè dējungunt noctes à diebus, cum illis sint
conjungenda. Nam quòd Christus distinctè nominavit tres dies
& totidem noctes, non ideo fecit, ut tres integras noctes & dies
sed ut tres dies naturales significaret, easq̄ ab artificialibus, ut
vocant, distingueret. Hac enim phrasi diei & noctis solent He-
brai naturalem diem, qua constat viginti quatuor horis decla-
rare. Confer Gen. 7. v. 4. 12. Exod. 24. v. 18. 34. v. 28. Dent. 9.
v. 9. 11. 18. 26. 10. v. 10. 1. Sam. 30. v. 12. 1. Reg. 19. v. 8. Fuit igitur
Christus tribus diebus scilicet naturalibus in sepulchro per
Synecdochen, quia per aliquam partem trium dierum in eo fuit,
partem scilicet diei feria sexta, totum sabbatum, & partem diei
prima feria.

9. Neq̄ in describendo tempore resurrectionis Christi
dissentiant etiam à se invicem Evangelista. Quando enim
Marcus

Marcus c. 16. v. 9. ait: Surgens (Christus) mane prima Sabbati, idem dicit, quod Matth. c. 28. v. 1. Vespere autem Sabbati, lucefcente in prima Sabbatorum. Etenim accipiendo Sabbatum pro die naturali, ut includit diem & noctem $\delta\psi\epsilon$ sabbati appellat noctem Sabbati (sicut apud Hebraeos vespera non tantum vesperinum tempus, sed totam etiam noctem aliquando significat, ut constat ex Gen. c. 1.) & quidem quoad ejus partem extremam, qua est nimirum in diluculo diei dominicae. Hoc ipsum indicat Matthaeus ipse, quando addit, lucefcente in prima Sabbatorum, ut intelligeremus, ipsi sermonem esse de vespere Sabbati, non circa occasum solis, sed circa ortum potius in extrema parte noctis, id est, in diluculo, seu in aurora lucefcente diei dominicae.

10. Sed obscure adhuc videtur, quod Matthaeus non simpliciter vesperam, sed vesperam Sabbati fuisse dicat. Vespera autem Sabbati pars Sabbati sit necesse est, sicut & mane Sabbati. At nox, qua Sabbatum subsecuta est, pars Sabbati non erat. Ergo Sabbati vespera vocari non potuit. Verum hic diligenter observandum, Matthaeum non dicere $\epsilon\alpha\tau\epsilon\epsilon\gamma\ \delta\psi\epsilon\ \alpha\upsilon\tau\omicron\tau\omega\nu$ vespera Sabbati, sed $\delta\psi\epsilon\ \alpha\upsilon\tau\omicron\tau\omega\nu$, qua particula Graecis significat sero, vel longo post tempore. Nihil itaque aliud dicere voluit Evangelista, quam transacto jam Sabbato longo intervallo, cum mulieres venirent ad sepulchrum, Christum jam resurrexisse.

11. Quemadmodum verò inter se non pugnant Matthaeus & Marcus: sic nec Evangelista Marcus à seipso dissentit, quando dicit c. 16. v. 2. mulieres venisse ad sepulchrum valedè mane, orto jam sole, postquam Christus resurrexerat. Ortus namque jam Sol dicitur, non quia jam cerneretur, sed quoniam in diluculo jam appropinquaret, & inciperet aërem illuminare, ut interpretatur Augustinus lib. 3. de consensu Evang. c. 24.

12. Neque ab Evangelista Johanne discrepant Matth. & Marcus, etiamsi ille dicat c. 20. v. 1. Magdalenam venisse ad sepul-

sepulchrum cum adhuc essent tenebra, atq; ita videatur affirmare contigisse Christi resurrectionem ante diluculum. Nam supersunt aliqua tenebra etiam in diluculo. Die quippe surgente (ut ad hoc respondet Augustinus l. c.) aliqua reliquia tenebrarum tanto magis extenuantur, quanto magis oritur lux. Itaq; adhuc, ut Johannes inquit, tenebra erant, praesertim, cum resurrectione Domini contigerit valde diluculo, referente Luca c. 24. v. 1. & valde mane, ut Marcus ait c. 16. v. 2.

13. Quod verò temporis momentò, seu quâ particulâ illius temporis contigerit, non explicant Evangelista, neq; notum est ulli mortalium, ut Hieronymus ait in Epist. 150. ad Hedibiam quaest. 6. Fuit autem congruum Christum resurgere diluculo, ut significaretur per gratiam Novi Test. fieri id, quod Apostolus Ephes. 5. v. 8. ait: Fuiſtis aliquando tenebra, nunc autem lux in domino, sicut Augustinus indicat lib. 4. de Trinit. cap. 6. Christus enim gloriosa sua resurrectione tenebras peccatorum fugavit, & aeternam lucem justitia nobis reduxit. Sol namq; est justitia Mal. 4. v. 2. oriens ex alto, illuminans eos, qui in tenebris & umbra mortis sedent Luc. 1. v. 78, 79. Sed de hac re fusius pro instituto, qui commentaria scribunt in Evangelia, & pro concione docent populum.

14. Causa efficiens resurrectionis suae est ipse Christus, qui non, ut alij, virtute & potentia alienâ, sed suâ propria ex mortuis resurrexit, quemadmodum Judaeis dicit Joh. 2. v. 19. Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Loquebatur autem, ait Evangelista, de templo corporis sui v. 21. & Joh. 10. v. 18. Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à me ipso: potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.

15. Verim hic molesti nobis sunt Photiniani, protervè negantes, Christum suae resurrectionis causam esse efficientem, ut videre est apud Osford. contra Tradet. lib. 2. c. 10. pag. 176.

B

177. 178.

177. 178. Catech. Racov. Major. c. 11. pag. 313. & seqq. Smalc.
de divinit. Christi c. 13. pag. 84. Socin. in defens. animadvers.
in Assert. Theol. coll. Posn. part. 3. c. 4. pag. 151. & seqq. Quod
verò adducta scriptura testimonia attinet, variè ea eludunt.
Contra primum excipiunt, vocem græcam ἐγείρω non tantum per
verbum erigam reddi posse, id quod Catech. Racov. probat au-
toritate Lutheri ita vocem græcam vertentis, ut sensus sit,
Christum, eam à Deo Patre suo excitaretur, corpus suum erexis-
se. Resp. verbum græcum ἐγείρω propriè significare excitare per
se notum. Nec adversatur nobis versio Lutheri, qui græcam vo-
cem verbo erigendi reddidit, quemadmodum alteram λύω
verbo frangendi, ubi mortem Christi, fractionem corporis; re-
surrectionem verò erectionem ejus per Metaphoram nominat.
Perinde enim est, sive Christus dicat, se corpus suum excitatu-
rum, sive erecturum. Nam verbum græcum non neutraliter,
ut Photiniani opinantur, sed activè, sive de efficaci operatione
accipiendum esse, constat ex antecedentibus. Quarentibus enim
Judæis, quod signum seu miraculum eederet, seu quo signo confir-
maret, quod jus & potestatem haberet reformandi templum, re-
spondit: destruite templum hoc, & intra triduum erigam illud.
Quod si vox erigere hic non significaret efficacem operationem,
ineptè Christus respondisset. Quale enim, quæso, signum hoc
esset, si homo mortuus ab alio excitatus in sepulchro se erigeret,
ut fortè filius viduæ Luc. 7. v. 15. filia Jairi Matth. 9. v. 25.

16. Agnoscit hoc ipse Socinus l. c. quando scribit: Cu-
pivisse Judæos ex aliquo signo ab ipso Christo edito videre & co-
gnoscere, se meritò sibi tantam sumere auctoritatem, quantam
sibi sumebat. Etiam si igitur, ait, Christus ipse propriè loquendo,
is futurus non erat, qui templum illud erigeret, quod ipse intelli-
gebat tamen necesse quodammodo habuit ita loqui, & sibi id
tribuere, quod Dei solius futurum erat. Hactenus ille. Veram
rectè quidem in eo sentit Socinus, dum ait, Christum necesse ha-
buisse

buisse ita loqui, & sibi id tribuere, quod solius Dei futurum erat: at impiè: quando Christum aliter sensisse, & aliter locutus fuisse, atq; ita Judæos elusisse fingit, qui tamen, cum ipsa veritas sit Joh. 14. v. 6. fallere quenquam nesciat, & nil nisi veritatem dicat Joh. 8. v. 4. 5. Judæi idem olim affingebant Christo, cum se eadem operari cum Patre dicebat Joh. 5. v. 17. eumq; propterea accusabant blasphemia, quod Deum dicebat patrem suum, aequalem se faciens Deo. At Christus ibidem juramento affirmat, se rectè locutum & dixisse non nisi verissimè, ac Patrem nihil quicquam facere, nisi quod faciat similiter & Filius, ut pari honore & cultu divino ipse afficiatur cum Patre v. 19. 23; Judæos verò mendacij arguit, eosq; à patre Diabolo esse ait, qui in veritate non stetit Joh. 8. v. 44. Idem sibi dictum statuunt Socini affecta.

17. Quia verò nolentes volentes concedere coguntur Photiniani Joh. 2. v. 19. verbum ἐγὼ non nisi activè exponi posse, quis non videt nullius momenti esse, quod obijciunt, Luc. 17. v. 33 de fidelibus dici: Qui animam suam perdit, is eam ζωοποιήσῃ vivificabit, ubi verbum vivificare nihil aliud significare possit, quam vivere, siquidem fideles semetipsos non resuscitabunt ex mortuis, sed resuscitabuntur à Deo. Nam l. c. verbum illud non de actione, sed promissione duntaxat accipiendum esse, & fideles nihil conferre ad sui vivificationem, idcirco vivificare idem esse, ac animam conservare, vel invenire, ut Mat. 10. v. 39. & 16. v. 25. declaratur, concedimus; attamen non propterea concludendum, verbum ἐγὼ eodem modo apud Johannem, reclamante etiam ipso contextu, exponi posse. Non enim par ratio Christi & fidelium. De Christo dicitur, quod, quæcumq; Pater facit, eadem & Filius operetur similiter Joh. 5. v. 19. & quomodo Pater suscitatur mortuos & vivificat, ita etiam Filius vivificet, quos vult v. 21. ubi verò hoc legitur de fidelibus? Quod si figurè Christum alios propria virtute & efficacia suscitare

zare potuit, cur non etiam seipsum: siquidem non more prophe-
tarum vel Apostolorum, sed potestate propria resuscitavit mor-
tuos, quod nec ipsimet Photiniani inficias ire possunt.

18. Ad locum Job. 10. v. 18. respondent: verba illa,
potestatem habere, etiam ijs tribui rebus, qua in ijs, qua illis
asscribuntur operibus, nil operantur, ut Job. 1. v. 12. Dedit (cre-
dentibus) potestatem filios Dei fieri; cum tamen illi ad filiatio-
nem nil conferant, quippe, qua à solo Deo proficiscitur. Verum
nec hinc par ratio est. De credentibus enim dicitur, quòd illis de-
tur potestas, de Christo, quod eam habeat, & quidem ἐν εἰσότητι
sicut Pater Job. 5. v. 26.

19. Sed instat Smalcus in Resur. diss. Graueri de per-
sona Christi, pag. 18. in textu non legi, Christum habere pote-
statem iterum assumendi, sed accipiendi animam suam. Resp.
textus habet verbum λαβῆν, quod non tantum accipere, sed &
sumere significat Act. 15. v. 14. λαβῆν ἐξ ἑθνῶν λαόν, sumere ex
gentibus populum. Et Heb. 5. v. 4. ἔχ εἰσότης ἡς λαμβάνει τὴν
ψυχὴν, nec sibi ipsi quinquam sumit honorē. λαμβάνειν εἰς τὰς χεῖ-
ρας, sumere in manus, ait Plato. Quod verò hanc significatio-
nem etiam hoc in loco habeat, evincit ipse contextus. Sic enim
inquit Christus: ἐγὼ τίθημι τὴν ψυχὴν ἀπὸ ἐμαυτοῦ, ἐξ ἑστίας ἔχω
θεῖναι αὐτήν, καὶ ἐξ ἑστίας ἔχω πάλιν λαβῆν αὐτήν. Quomodo
verò hic Christus dicitur θεῖναι τὴν ψυχὴν, ita etiam dicitur
πάλιν λαβῆν αὐτήν. At Christus à semetipso, i. e. liberè, pro
suo arbitrio & voluntate dicitur θεῖναι τὴν ψυχὴν. Hoc enim
vult se non mori coactè, vel ex necessitate quadam instar reli-
quorum hominum. E. etiam à semetipso id est liberè, pro suo ar-
bitrio & voluntate dicitur πάλιν λαβῆν αὐτήν. Quod si Chri-
stus dicere voluisset, se animam suam ponere & iterum accipe-
re, non debuisset nec potuisset dicere, se potestatem habere eam
ponendi & iterum accipiendi, & quidem à semetipso, id est li-
berè, pro suo arbitrio & voluntate. Quis enim hominum mor-
tuorum

suorum à Deo resuscitatus dici potest habere potestatem vitam suam iterum accipiendi, pro suo arbitrio & voluntate? Deus est, qui pro mera & liberrima sua voluntate eos ex mortuis resuscitat, ipsi restituit vitam: & quatenus à Deo ipsis restituitur, eatenus illi accipiunt. Quapropter verbum λαβῆν rectius hic vertitur sumere, vel assumere, quam accipere.

20. Et quia de potestate αὐτοῦ θεοῦ, qua solius aeterni Dei propria est, hic Christus agit, eamq; sibi attribuit, hoc ipso aeternam suam deitatem asserit. Quis enim aliàs pro voluntate sua agit, nisi aeternus Deus, qui solus liberrimum agens est, & omnia quae vult facit Psalm. 115. v. 3. 135. v. 7. Quis hominum etiam potestatem habet à semetipso ponendi vitam suam? Vita nostra in potestate ejus est, qui eam dedit: Is autem aeternus Deus est. Si igitur Christus aeternus Deus est, vitam suam, quam à semetipso deposuit, eam sibi ipsemet iterum sumere potuit.

21. Sed objiciunt Photiniani: Si Christus semetipsum resuscitavit ex mortuis, aeternus Deus non est. Qui verò sic? Quia, inquit, is, qui ex mortuis resuscitatur, eum oportet prius mortuum fuisse. Atqui Deus aeternus mori non potest. E. nec resuscitari ex mortuis. Respondeo: Committitur à Photinianis Elenchus secundum quid. Qui enim moritur, is quatenus seu juxta quod moritur, aeternus Deus quidem non est; attamen secundum aliud Deus aeternus esse potest. Sic Christum, quatenus seu juxta quod mortuus est, & iterum ex mortuis resuscitatus, non dicimus esse aeternum Deum, sed hominem: quatenus verò seu juxta quod Deo patri suo dicitur aequalis Joh. 5. v. 18. & filius proprius Rom. 8. v. 32. & unigenitus Ioh. 1. v. 18, 3. v. 16. eatenus eum aeternum Deum esse statuimus benedictum in omnia secula Rom. 9. v. 5.

22. Secundo objiciunt adversarij: Quicquid Deo Patri tribuitur, id Filio tribui nequit. Atqui resuscitatio Filij ex mortuis tribuitur Deo Patri Act. 2. v. 24, 4. v. 10, 5. v. 30, 10. v. 40, 13.

v. 30. & seqq. Rom. 8. v. 11. Eph. 1. v. 20. Col. 2. v. 12. E. ipse Filio tribui nequit. Respondeo: Committitur idem Elenchus: siquidem contraria non sunt, Deum Patrem Christum resuscitasse, & Christum semetipsum resuscitasse. Quemadmodum enim optima ratione utrumq; simul subsistit, quod Deus Pater dederit nobis Filium suum Iob. 3. v. 16. & quod pro nobis omnibus tradiderit illum Rom. 8. v. 32. & quod Filius semetipsum pro nobis tradiderit Gal. 2. v. 20. & dederit redemptionis precium semetipsum pro omnibus 1. Tim. 2. v. 6. confer & Tit. 2. v. 14: ita quoq; hac duo optima ratione simul subsistunt, quod Deus Pater resuscitaverit Christum ex mortuis, & quod Christus semetipsum resuscitaverit. Major itaq; proposito in syllogismo Photinianorum non est ἀπὸ τῶν vera; sed tantum cum hac limitatione: Quicquid tantum Patri competit, seu quicquid competit Patri quā Patri, id non competit Filio: sed hoc sensus Minor falsa est.

23. Sed probant adversarij resuscitationem Christi ex mortuis tanquam propriam Deo Patri tribui ex Epist. ad Rom. c. 4. v. 24. & 8. v. 11. ubi omisso etiam Dei nomine describitur, quod sit is, qui Jesum à mortuis excitavit. Resp. Formetur syllogismus & Major erit falsa. Quaesiverim enim ex Photinianis, quem describat Apostolus Rom. 4. v. 5. quando inquit: credenti in eum, qui justificat impium? dicent proculdubio Deum Patrem. At justificatio impij non tantum competit Deo Patri sed etiam Filio, teste Esai. c. 53. v. 11. In scientia sui, inquit, justificabit justus servus meus multos. Ratio itaq; allata nullius est momenti.

24. Tertio obijciunt: si Christus hanc potestatem in se habuit, non opus fuit, ut alius nempe Pater resuscitationem illam perficeret. Respondeo: Committitur in hoc argumento Elenchus non causa. Non quidem opus fuit, ut à Patre resuscitaretur Christus, quasi ipse adeo impotens fuerit, ut seipsum ex mortuis

tuis resuscitare non potuerit : sed quia potentia Dei infinita, (cujus opus seu effectus est ex mortuis resuscitatio) numero una est, eaq; non minus Christo comperit, quam Patri, cum eadem operetur, qua Pater Ioh. 5. v. 17. & sicut Pater suscitatur mortuos & vivificat, sic & Filius, quos vult, vivificet, v. 21.

25. Quarto obijciunt : Si Christus semetipsum ex mortuis resuscitare potuit, quid opus fuit precibus, quas in diebus carnis suae cum valido clamore & lachrymis obtulit Deo Patri qui eum à morte servare poterat Hebr. 5. v. 7? Respondeo : preces fundere potuit, quia homo est, & nosster mediator. Quia mediator igitur nostro loco constitutus, & ut homo in extremo humiliationis statu pro nobis & liberatione à morte preces fudit sic tamen, ut & ipse servaverit & resuscitaverit ex mortuis semetipsum, quatenus eadem potentia divina prae datus cum Patre, similiter facit, quicquid facit Pater Ioh. 5. v. 19.

26. Quinto obijciant : Nullibi expresse tribuitur Filio resuscitatio sui ipsius. Resp. Etiam si verba haec : Christum semetipsum resuscitavit ex mortuis, non leguntur in sacris literis, sufficit tamen, si res ipsa quoad phrases equipollentes in sacris contineatur, quod ipse Ostorodius in Inst. c. 10. in consimili quaestione fatetur. Rem ipsam verò in sacris literis contineri, supra demonstravimus.

27. Deniq; obijciunt, & imprimis Ostorodius, fidelibus eripi omnem vim consolationis, quam alias ex resurrectione hauriunt, cum non habeant exemplum, quo se solentur, si Christus semetipsum resuscitaverit ex mortuis, siquidem fideles semetipsos resuscitare non poterunt. Resp. Continet haec obiectio scopas planè dissolutas. Fortis est consolatio: Christus semetipsum resuscitavit ex mortuis. E. & fideles ex morte resuscitare potest.

28. Ceterum, quia virtus seu potentia divina, quae Christus ex mortuis surrexit, per unionem hypostaticam, quae ne in ipsa morte fuit soluta, humana Christi naturae communicata est.

est, idem etiam Christus quia homo se ipsum ex mortuis excitavit. Negant hoc Calviniani, Polanus lib. 6. Syntagm. c. 23. pag. 416. Humanitas Christi (inquit) se ipsam non excitavit ex mortuis seu ad resurrectionem suam non est cooperata: alioquin Paulus minimè diceret, Christum per resurrectionem ex mortuis potenter esse declaratum filium Dei secundum spiritum sanctificationis. Ita ille. Verum hac non sunt opposita. Est enim Christus secundum divinitatem filius Dei essentialiter, sive naturâ; secundum humanitatem, personaliter seu ex gratia unionis personalis. Nam idem, qui dicitur factus ex semine Davidis & ex p. g. dicitur etiam filius Dei v. 3. & Math. 16. v. 16. filius hominis, filius altissimi. E. divina virtus, quâ Christus semetipsum ex mortuis excitavit, essentialiter ipsi propria est secundum divinitatem, personaliter verò communicata secundum humanitatem. Et propter hanc communicationem virtutis seu potentie divinae humanae Christi natura factam, minus rectè loquitur etiam Beza in Colloq. Molpolg. pag. 228. 229. quâdo inquit; sola divinitas Christi suum corpus à mortuis resuscitavit, Negari enim non potest (ita eidem respondent nostri) mortuo Christo corpore animam ejus neq. mortuam, neq. à Filio Dei separatam fuisse, cum à Patre suscepta esset, quam Christus moriens in manus ipsius commendavit. Hujus ergo virtutis, cum etiam mortuo corpore particeps permansisset: quis intelligens eam à resurrectione corporis excludere auderet: cum ipse Christus dicat: Ego potestatem habeo ponendi animam meam, id est, vitam meam, & iterum eam sumendi. Sicut ergo Christus corpus suum deposuit, quando ipse non modo secundum divinitatem, sed etiam anima ipsius voluit, & non quando ipsius hostibus placuit, ita eadem Christi anima Dei Filio unita, idem corpus resumpsit, quando voluit, videlicet tertia die, sicut dixerat.

29. In eandem sententiam respondet Thomas part. 3. q. 53. v. 4. per mortem non fuit separata divinitas, nec ab ani-

anima Christi, nec ab eius carne. Potest igitur tam anima Christi mortui, quam eius caro considerari dupliciter. Uno modo ratione Deitatis, alio modo ratione natura creata. Secundum igitur unita divinitatis virtutem, & corpus resumpsit animam, quam deposuerat, & anima corpus resumpsit, quod dimiserat. Et hoc est, quod de Christo dicitur 2. Cor. ult. quod etsi crucifixus est in infirmitate nostra, vivit tamen ex virtute Dei. Si autem consideramus corpus & animam Christi mortui, secundum virtutem natura creata, sic non potuerunt sibi invicem reuniri, sed oportuit Christum resuscitari à Deo.

30. Resurrexit autem ex mortuis eadem persona, idem Iesus Christus, verus Deus, & verus homo, qui erat mortuus: secundum eam naturam, secundum quam passus erat & sepultus, nempe secundum humanam. Neque enim aliud resurgere potuit, quam quod ceciderat. Idem ergo corpus, omnibus partibus, membris & requisitis essentialibus constans, quod ceciderat, hoc est, in cruce mortuum, & in sepulchrum fuerat positum, resurrexit, ut patet ex Psal. 16. v. 10. Act. 2. v. 27. non dereliques animam meam in inferno: nec sinas sanctum tuum videre corruptionem. Job. 2. v. 19. Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Act. 2. v. 31. caro autem ipsius non videbit corruptionem. Unde Christus Luc. 24. v. 39. ait ad discipulos: Videte manus meas & pedes meos: nam ego ipse sum. Contrectate me & videte; nam spiritus carnem & ossa non habet, prout videtis me habere.

31. Quamvis autem illud corpus, quod fuerat crucifixum, mortuum & sepultum, resurrexit, & non aliud ratione etatis; tamen per resurrectionem ditatum ac donatum est qualitatibus novis, hoc est, factum est. 1. immortale. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel: nunc autem suscitatus à mortuis, non amplius moritur, mors ei non amplius dominatur. Rom. 6. v. 9. 10. Confer Apocalyp. 1. v. 18.

32. Ornatum est etiam ex resurrectione corpus Christi

C

2. luce

2. luce & claritate inenarrabili. Nam si Christus ante resurrectionem in transfiguratione facta in monte Matth. 17. v. 1. 2. Marc. 9. v. 2. 3. Luc. 9. v. 28. 29. efficere potuit, ut facies eius splenderet sicut Sol, ac vestimenta eius fierent candida valde, ut nix, & alba, ut lux; quanto magis post resurrectionem talem claritatem per corpus suum exercere potuisset, nisi eandem repressisset *ὀφθαλμοῦς*. Qua de re August. lib. ad Oros. Clarificata carne Dominus resurrexit, sed noluit in ea clarificatione discipulis apparere, eo quod non possent oculis suis talem clarificationem aspicere. Et lib. 22. de Civ. Dei cap. 19. Claritas in Christi corpore cum resurrexisset, ab oculis discipulorum potius abscondita fuisse, quam defuisse credenda est. Non enim eam ferret humanus atq; infirmus aspectus, quando ille à suis ita deberet attendi, ut posset agnoscere.

33. Factum est 3. corpus Christi ex resurrectione quoq; spirituale. Nam quia Apostolus Paulus 1. Cor. 15. v. 44. de corporibus nostris affirmare non dubitat, quod per mortem seminetur corpus animale, excitetur autem *σῶμα πνευματικόν*; cur non idem de Christi corpore pronunciare liceat, quod teste eodem Apostolo Phil. 3. v. 21. clarificatis electorum corporibus *σῶμα ἕσται* est?

34. Dicitur autem spirituale propterea, quod cibo, potu, somno & ceteris, quibus corpora *ψυχὰς* opus habent, non indigeat. Quod enim Christus edit & bibit cum discipulis post resurrectionem Luc. 24. v. 43. Job. 21. v. 15. Act. 10. v. 41. non id ex quadam natura indigentia, sed ex dispensatione factum est, ut veritatem resurrectionis sua in animis discipulorum confirmaret. Quam ob causam etiam cibus ille non concoctus aut digestus est in ventriculo (quod animalium, non spiritualium corporum est) sed natura clarificati corporis Christi, velut igne quodam absumentis. Manducavit, inquit Beda in Comment. in Luc. 24. non necessitate, sed libera voluntate, aliter autem absorberet

forbet terra aquam, aliter Sol: Sol potestate, terra necessitate, quia arida est. Euthym. ibid. Sicut supernaturaliter comedit, ita supernaturaliter, quae comederat, digessit. Scire verò oportet, quod quaedam à Salvatore facta sint *divopuxōs*, quae non sunt regula ac praescriptio natura &c.

35. Errant ita graviter Photiniani, qui ex hoc, quòd Christus post resurrectionem verè manducaverit & biberit, concludant, corpus ipsum à resurrectione non fuisse glorificatum & immortale, ut videre est apud Smalc. in Exam. 157. error. pag. 11. Nam vera quidem fuit manducatio, quia veritatem resurrectionis comprobare debuit; at non fuit Physica & naturalis. Comedit Christus non ex necessitate quadam & indigentia; sed ex libera voluntate & *divopuxōs*. Quare etiam corpus ipsum non fuit à resurrectione mortale.

36. Porro, quia per resurrectionem corpus Christi factum est spirituale, habet hinc, quod è sepulchro lapide nondum revoluto prodijt. Negat hoc Calvinus lib. 4. Inst. c. 17. & alij, ejus affecta. Fingunt enim illi divino mandato per ministerium Angeli de caelo descendenti amotum fuisse lapidem, vel certè sese flexisse illius duritiam, ut aditum Christo resurgenti ac prodeunsi de sepulchro praeberet. Sed contrarium, Christum scilicet prodijisse ex sepulchro, lapide nondum revoluta, colligitur ex historia resurrectionis apud Matth. c. 28 descripta. Nam Evangelista aperte dicit, factum fuisse terra motum propter Angeli descensum, & ecce, inquit, terra motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de caelo & accedens revolvit lapidem ab ostio. Quòd si Christus nondum resurrexisset, non propter angeli descensum, sed propter Christi resurrectionem terra motum factum dixisset. Propterea etiam Marcus c. 16. v. 3. 4. lapidem ab angelo revolutum fuisse, non ut Christus resurgere posset, sed ut mulieres sepulchrum ingredi, & corpore vacuum videre possent, significat. Et dicebant, inquit, ad invicem, quis revolvebat

nobis lapidem ab ostio monumenti? & respicientes viderunt lapidem revolutum, quasi dicat, oportune venisse angelos & mulieribus de lapide revolvens sollicitis, antequam ad sepulchrum accederent, lapidem revolvisse.

37. Idem disertè tradunt Patres. Hieronymus in Epist. ad Hedibiam quasi. 6. Non putemus, inquit, Angelum idcirco venisse, ut aperiret Domino resurgenti sepulchrum, & revolveret lapidem, sed postquam Dominus resurrexit, hora qua ipse voluit, & qua nulli mortalium cognita est, indicasse, quod factum est, & sepulchrum vacuum revolutione lapidis & sui ostendisse presentia. Conferatur & Beda Homilia in vigilia Paschatis, Chrysostomus Hom. 91. in Matth. Theophylactus in cap. 28. Matth. Euthim. ibid.

38. Hinc præterea etiam illud est, quod Christus, januis clausis, ad discipulos suos sit ingressus. Joh. 20. v. 19. 26. Negat hoc iterum Calvinus (nempe, januas tum cum Christus ingrediebatur ad discipulos, fuisse clausas) lib. 4. Inst. c. 17. & ejus discipuli, ac cum ipsis Photiniani, ut videre est apud Soc. in lib. quod Evang. se Phot. adjung. deb. pag. 68. Smalc. contr. Franc. disp. 3. pag. 74. dicant enim Christum ad discipulos fuisse ingressum foribus clausis, id est, eo tempore, quo fores erant clausæ, vel Christum ipsum, cum ingrederetur, suâ potentiâ aperuisse, aut ultro fores illi sese pandisse, quod & cum Petrus è carcere ab Angeloliberaretur, factum legimus Act. 12. v. 10.

39. Verum contrarium dicit Evangelista, Christum ita ad discipulos fuisse ingressum, ut subito steterit in medio ipsorum, clausâ manente janua, adeo ut discipuli hinc exterriti, putarint se spiritum videre Luc. 24. v. 37. Deinde etiam phrasîs hac, stetit in medio ipsorum, hanc vim habet, ut indicet, subito, sine ullo advenientis indicio, sine strepitu, sine apertione janua Christum in medium constituisse.

40. Præterea agnoscit ipse Calvinus l. c. & Com. in Joh. Evangelistam tanquam insigne miraculum narrare, Christum

stum ad discipulos hū ingressum esse, januis clausis. At Evangelista miraculum non ponit in eo, quod Christus omnipotenti suā virtute januas aperuerit, sed quod, januis clausis, subito steterit in medio discipulorum. Quod se eodem modo janua se aperuissent, quemadmodum porta Petro sese ultrò aperuit Act. 12. v. 10. a què id, atq; Lucas, dixisset Johannes. Merum itaq; commentum est Calvinianorum, ut & Photinianorum, qui hac in parte eos sequuntur, Christum, januis apertis, ad discipulos fuisse ingressum, cui meritò nos planum Evangelista testimonium anteponimus: quemadmodum etiam Patrum. Augustinus Epist. 3. ad Volusianum: Ipsa, inquit, virtus divina per inviolata Matris virginea viscera, membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia membra juvenis introduxit. Et subjungit: Hic si ratio quaritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare. Demum Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis. Videatur & Cyrill. lib. 12. in Joh. c. 53. Chrysostomus Homil. 85. in Joh. & Hom. 2. de simbolo.

41. Neg; tantum hinc, quod scil. ex resurrectione acciperit corpus spirituale, habet, ut è sepulchro lapide nondum revolutò prodierit, & januis clausis ad discipulos suos ingressus sit: sed etiam, quod corpore suo potuerit fieri ἀφανῆς, hoc est, invisibilis & inconspicuum Luc. 24. v. 31. Negant hoc similiter Calviniani fingentes glossam, quod Christi corpus non in se evasit invisibile, ubi ipse discipulis ἀφανῆς factus dicitur, sed (verba sunt Calvini Comment. in Harm. Evang.) quia Deo vigorem suum subtrahente, obtusa fuit eorum acies, vel ut Tilen. part. 2. disp. 7. th. 33. ait, quia Christus tenuit oculos eorum, ne discedentem conspicerent. Quasi verò verba Evangelista defuerint, ut id dicere non potuisset. "Αφανῆς ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν" invisibilis, sive non apparens factus est ab illis, ait Evangelista. Quis igitur sana mentis dubitare potest miraculum voluisse Evangelistam

hanc significare, quo se Christus discipulis suis subito invisibilem fecit?

42. Sed urgente illud Luc. 24. v. 39. ubi Christus à visibilitate corporis sui veritatem probat, ex quo colligunt corpus Christi non posse non esse visibile. At cur non etiam sic: Christus veritatem resurrectionis, ut & corporis sui, probat manducando. Et manducatio competit etiam corporibus glorificatis, & per consequens etiam mortalitas: atque ita Christus etiam corpus habet mortale. Absurdum; absurda itaque collectio Calvinianorum.

43. Denique multas & praeclaras dotes alias ex eadem resurrectione gloriosum Christi corpus est adeptum, ac mirabiliter ijs ornatum & locupletatum; qua ipsa tamen gloria ab ea, quam ex sessione ad dextram Dei obtinet, toto genere differt. Nam priorem communem habet (servata nimirum graduum differentia) cum electis Phil. 3. v. 21. posteriorem autem minimè Heb. 1. v. 13.

44. Forma resurrectionis consistit in anima Christi ad corpus reductione, quae factum est, ut duae illae partes per mortem separatae, (in se nempe; non autem à seipso, cui inseparabiliter etiam in ipsa morte manserunt unitae) vicissim unirentur.

45. Ad formam referri etiam potest resurrectionis modus, quod scilicet resurrexit clauso manente sepulchro, ut & potentia non aliena, sed propria; qua de re jam supra egimus.

46. Finis resurrectionis Christi duplex est. Finis 1. est gloria Dei Patris Rom. 6. v. 4. suscitatus est Christus à patre dōzns rō wōlōs in, sive ad gloriam Dei Patris. Particula à patre vel de causa efficiente exponi potest, per gloriam Patris, hoc est, insignem virtutem sive potentiam, quae se verè gloriosum declaravit, & veluti gloria sua magnificentiam illustravit; non quod non sua etiam potentia Christus resurrexerit (hoc enim supra demonstravimus) sed ordo agendi notatur talibus dictis, quibus ad Deum Patrem divina opera referuntur: vel exponi potest & qui-

quidem commodius de causa finali, ut *Deo deus sit*, pro eis
sive *deus deus* ad gloriam Dei Patris, hoc est, ut vivus & ad
dextram Dei Patris sedens & regnans in medio inimicorum ipsum
glorificet, sicut ipse precatur Joh. 17. v. 1. Pater glorifica Filium
tuum, ut & Filius glorificet te: & Paulus infra v. 11. dicit, quod
autem vivit, vivit Deo, hoc est, ad gloriam Dei.


47. Finis quoque nos ipsos homines concernit, & completi-
tur fructus ex Christi resurrectione ad nos promanantes. Ex
quibus apparet, quanto opere Christi ex mortuis resurrectio nostrae
etiam respectu fuerit necessaria. Primus fructus est fidei nostrae
de persona & officio Christi confirmatio: nisi enim Christus re-
surrexisset, inanis esset fides nostra 1. Cor. 15. v. 14. 17. confer
qua diximus thes. 6. Secundus est nostrae coram Deo justificatio &
sicut Paulus docet Rom. 4. v. 25. ipsam excitatum esse ad nostrae
justificationem. Nam per resurrectionem Christi ex mortuis in-
notuit & declaratum est, quod omnes hostes, peccatum, Satanam,
& mortem devicerit. Quod si non surrexisset, manifestum
fuisset indicium, ipsum non vicisse mortem, sed potius à morte
fuisse victum & superatum: & proinde si mortem non vicisset
tum neque eum, qui mortis habebat imperium, nempe diabolum
Hebr. 2. v. 14: itaque nec peccatum, cujus stipendium est mors.
Rom. 6. v. 23. plene expiasset, quandoquidem peccato expiato,
morti nullus amplius locus est reliquus. Ut verò mortem in nobis
penitus vinceret, utique necesse fuit, ut eam prius vinceret in
seipso, atque ita impleveret reipsa, quod praedictam erat: Absorpta
est mors in victoria. Ubi tuus, mors, stimulus? ubi tua infer-
ne victoria? Os. 13. v. 14, 1. Cor. 15. v. 54. 55. & ita pud face-
ret hostes exprobrantes ei: alios servavit, seipsum servare non
potest Matth. 27. v. 41.

48. Tertius fructus est nostrae regeneratio. Ut enim
Christus surrexit propter nostrae justificationem: sic etiam pro-
pter nostrae regenerationem, quia indissolubili nexu sunt con-
juncta

junctā 1. Pet. 1. v. 3. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu
Christi, qui ex multa misericordia regenuit nos in spem vivam
per resurrectionem Christi ex mortuis, (Nota verò quòd regene-
ratio hoc loco non pro sola renovatione, sed pro tota hominis in-
stauratione accipiatur, quemadmodum Job. 3. v. 3. 5.) Rom. 6. v. 4.
Consepulti sumus Christo per baptismum in mortem, ut quomodo
excitatus est Christus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos
in novitate vita ambulemus. Confer 2. Cor. 5. v. 15, Ephes. 2.
v. 4. 5. Col. 2. v. 12. 13. 3. v. 1. 2. 3. 4. 5.

49. Quartus est corporum nostrorum resuscitatio. Chri-
sti enim capitis nostri resurrectio ex mortuis causa & pignus est
nostra resurrectionis. Ita cōcludit Apostolus 1. Cor. 15. v. 13. 16. 20.
& seqq. Nam Christus, caput Ecclesia, individuo nexu Spiritus,
sibi fideles habeat unitos, tanquam membra, necesse est. Confer
Job. 19. v. 25. Job. 11. v. 24. 14. v. 19. Romam. 8. v. 11. 1. Cor. 6.
v. 14. 2. Cor. 4. v. 14. 1. Thess. 4. v. 14. 2. Tim. 2. v. 11.

50. Effecta resurrectionis Christi ex finibus ita expositis
facili negotio poterunt colligi. Nam per resurrectionem Christi
reconciliatus & glorificatus est Deus Pater Rom. 5. v. 10. 6. v. 4.
per eandem resurrectionem plenè & perfectè sumus liberati à
peccatis 1. Cor. 15. v. 17. per illam vivificati sumus. Ephes. 2.
v. 5. 6. nempe in Christo, & regeniti in spem vivam ad heredi-
tatem, qua nec perire potest, nec contaminari, nec marcescere,
nobis in cælis servatam 1. Pet. 1. v. 3. 4. per illam in novissimo
die ex morte ad vitam immortalem excitabimur, & victoriã
Christi de morte & inferno reportata perfruemur, sic ut simus
triumphaturi ac morti infernoq; insultantes, Deumq; propterea
laudantes dicturi: Ubi tuus mors stimulus? ubi tua, inferne,
victoria? Deo sit gratia qui dat nobis victoriam per Dominum
nostrum Jesum Christum Os. 13. v. 14. 1. Cor. 15. v. 55. 57. qui
unã etiam cum Patre Deus est super omnia benedictus
in secula. Amen Rom. 9. v. 5.






quidem commodius de causa finali, ut *Ad*
sive *regis* *doctus* ad gloriam Dei Patris, hoc est
dextram Dei Patris sedens & regnans in medio
glorificet, sicut ipse precatur Job. 17. v. 1. Pater
meum, ut & Filius glorificet te: & Paulus infra
autem vivit, vivit Deo, hoc est, ad gloriam D

47. Finis & nos ipsos homines concernit
fructus ex Christi resurrectione ad nos per
quibus apparet, quanto opere Christi ex mortuis
etiam respectu fuerit necessaria. Primus fructus
de persona & officio Christi confirmatio: nisi
surrexisset, inanis esset fides nostra 1. Cor. 15
qua diximus thes. 6. Secundus est nostri coram
sicut Paulus docet Rom. 4. v. 25. ipsum excitavit
justificationem. Nam per resurrectionem Chr
notuit & declaratum est, quod omnes hostes, pe
& mortem devicerit. Quod si non resurrex
fuisse indicium, ipsum non vicisse mortem, sed
fuisse victum & superatum: & proinde si mo
tum neg. eum, qui mortis habebat imperium
Hebr. 2. v. 14: itaq; nec peccatum, cujus stig
Rom. 6. v. 23. plene expiasset, quandoquidem
morti nullus amplius locus est reliquus. Ut ven
penitus vinceret, utiq; necesse fuit, ut eam
seipso, atq; ita impleret reipsa, quod predictum
est mors in in victoria. Ubi tunc, mors, stimulu
ne victoria? Os. 13. v. 14. 1. Cor. 15. v. 54. 55.
ret hostes exprobrantes ei: alios servavit, se
potest Matth. 27. v. 41.

48. Tertius fructus est nostri regem
Christus resurrexit propter nostri justificationem
pter nostri regenerationem, quia indissolub



the scale towards document